

Hotrici [Henrici] Abendon Panegyricus
in Concilio Constantiensi die 27. Octobris anno 1415 habitus.

Sitis repleti fructu iustitiae, Phil I. et in epistola praesentis dominicae.

Caelestis agricola dominus Iesus christus, veniens in mundum et cernens agrum suum et nostrum sterilem et incultum et vacuum ab omni fructu, doluit et supra modum doluit. Proinde cum doloris lacrymis et sudorum laboribus annis pluribus ipsum irrigavit, demumque adueniente congruo tempore, seminavit semen suum, semen verbi, semen iustitiae, quod benedixit ore proprio dicens: poenitentiam agite, Matth. IV. quod vero semen cadens in terram malam reproborum, periit sine fructu propter defectum humoris, perseuerantis gratiae, in radice praedestinationis aeternae. Sed quod in terram bonam cecidit electorum, multorum fructum attulit, vnum [184] tricesimum aliud sexagesimum et aliud centesimum Matth. XII. Sic vero ager iste primo sterilis coepit esse fertilis et producere multos bonos fructus. Vnde ager hic quondam erat repletus apostolis et discipulis, virtutes et prodigia pro fide facientibus, plenus martyribus et immensitate amoris et spe gloriae in morientibus, plenus confessoribus poenitentibus, pleus virginibus continentibus, plenus praelatis vitae exempla praebentibus, plenus subditis obedientibus, plenus eremitis et sanctis monachis, deum in eremo contemplantibus. Et hanc multiplicem plenitudinem et plenam multitudinem, diu protulit ager iste.

Sed, proh dolor, iam charitas transit in inimicitias et vitae austeritas in delicias, praelatia in elationem, obedientia in rebellionem, continentia in voluptatem, poenitentia in carnalitatem. Iam sanguis martyrum clamat in vacuum et virtus apostolica euanuit pene in nichilum. Vnde conqueritur ille Petrus Ravennae pro defectu fructuum crescentium in agro clericorum, in quodam sermone illa dicens: priores patres repleti sunt septemplici spiritu sancto. Ipsi pleni spiritu sapientiae linguis loquuntur omnium. Nos insensati et illiterati vix loquimur euangelium. Illi volumina repleuerunt, nostri nec sciunt, nec ediscunt, nec doctores permittunt, nec alios libros, [185] quam libros in lucris legunt; pecunias petunt, non animas; honores, non labores. Haec Petrus.

Sic, sic sterilescit ager ecclesiae, nec producit, vt olim, fructus iustitiae. Surgite ergo in christo, patres et domini in hoc sacro concilio congregati, et diligenter considerate, quomodo estis conducti ad colendum agrum domini. Operemini, dum tempus habetis, ne veniens paterfamilias hora, qua non putatis, nec inueniens fructum, dicat illud terribile verbum, quod semel dixisse legitur ore proprio: maledicta terra in opere tuo Gen. IV. Vt ergo hanc maledictionem caueamus et dei benedictionem requiramus, hortatur nos amabilis doctor, egregius beatus Paulus dicens epistola dominicae praesentis: sitis repleti fructu iustitiae. Ergo propter hunc fructum omnes vnanimis et vno ore rogemus illum, a quo procedit omne datum et omne bonum optimum, vt talem fructum praesenti in sermone dignetur conferre, qualem nouit nobis et ecclesiae magis prodesse. Et in praesentibus habebitis recommendatum statum prosperum totius ecclesiae tam militantis in hoc seculo; quam dormientis in purgatorio, cum omnibus suis membris et specialiter illud sanctum et deuotum membrum, omni bono repletum, vt speramus, illustrissimum et victoriosissimum [186] regem Romanorum, semper augustum, qui pro fructu iustitiae feliciter laborauit et laborat ad vnionem

ecclesiae. Pro huius expeditione, pro gratia vobis et mihi necessaria, praemittat quilibet mente deuota orationem dominicam cum salutatione angelica.

Sitis repleti fructu iustitiae. Praemisso autem themate pro mea inductione et omissis floribus rhetoricis et foliis poeticis, quae saepe tegunt et abscondunt finem veritatis, pro processu huius simplicis collationis, primitus est notandum, quod secundum triplicem gradum hominum, triplicem reperio gradum fructuum eis correspondentium.

Sunt enim homines inferiores et subditi; sunt et homines superiores et praelati; sunt etiam homines supremi et finales beati. Ad primos, scilicet inferiores, pertinet fructus obedientiae filialis. Ad secundos, scilicet praelatos, pertinet doctrinae et disciplinae salutaris. Sed ad tertios, scilicet beatos, pertinet fructus laetitiae et gloriae finalis. Et cum quilibet horum sit fructus iustitiae, quae reddit, quod suum est unicuique, hinc moueor cum apostolo vestris reuerentiis dicere: sitis repleti fructu iustitia. Et haec materia cum forma sermonis in praesenti. Auctoritates patebunt infra e processu epistolae hodiernae et cetera. **[187]**

Dixi primo, quod ad inferiores subditos pertinet fructus obedientiae filialis. Notandum est, quod inter ceteras virtutes est obedientia filialis merito commendabilis. Tum primo quia deo maxime placet, tum secundo quia iustitiam maxime perficit, tum tertio quia beatitudinem propriissime vindicat. Primum patet ex ratione, opposita obedientiae, quae deo maxime displicet, quod pulcherrime declarat ille venerabilis Beda in de imagine mundi, libro IV. capitulis 9. et 10. inquit: praeuaricatores legis, state paulisper et considerate praeceptum, attendite peccatum et videte periculum. Armavit enim deus omnem creaturam adultorem inimicorum. Nullam enim creaturam fecit omnipotens, quae hodie hominem non redarguit, persequitur vel puniat in quattuor mundi partibus, quae sunt anathale, dysis, artos et mensebriae, quae de Graecis in Latinum sunt oriens, occidens, aquilo et meridies. Nomen primum Adae mystice colligitur in signum, vt si staret totus mundus et quidquid in eo esset, homini, quasi domino ministrasset. Si vero caderet, quidquid pro homine factum erat, quasi creatura creatorem et famulus suum dominum vbique vindicaret. Nihil enim homini nocere potuisset, nisi ipse prius sibi ipsi nocuisset. Transisset enim flumina, sed sine macula, ventis et mari imperasset, bestiis, **[188]** terrae, agris et igni praecepisset: Fac hoc et fecisset. Si homo ab ordine innocentum non apostatasset et deum minime irritasset, nequaquam alia creatura corruptibilis, neque caeli cum luminaribus, quae soli terrae ministrant, obedire tardassent, aut nocere potuissent. Huius rei et si non autrix sit, multa tamen experientia contestatur. Videmus enim in ordine naturae lepusculum leonem non persequi, sed timere. Videmus in omni corpore membra cordi, quasi domino non resistere, sed obedire. Sic omnia timuissent et illi quasi domino obedissent et suum condidissent creatorem. Quod enim leo in bestiis, hoc homo fuisset in creaturis et quod cor in corpore, hoc homo in creaturarum ordine. Omnia enim subiecit sub pedibus eius, quem sibi subiici, voluit omnipotens. Quid ergo est, quod Elias in curru igneo per ignem et aerem transit, quando Elisaeus fluuium cum pallio et Moses mare rubrum cum baculo diuiserunt? Habuisses vtique votum pro pallio et verbum pro baculo. Quomodo ad praeceptum Iosuae sol, luna cum mari stabant in firmamento? Qualis ad votum Ezechiae recessit sol in suo circulo? Non ne lingua Elisaei caelum clausit annis tribus et aperuit? Quid docuit lepram transferre in Gehasi, nisi verbum Elisaei? Quis docuit ferrum natare in flumine? Quis coruum doctrinauit, **[189]** vt pane et carnibus prophetam pasceret in eremo latitantem? Quomodo aqua maris Petri pedibus solidatur, aut corpus eius leuigatur, vt ambularet

versus dominum? Quid ignem de caelo coegit descendere, vt quinquagenarium principem deuoraret? Et ignis ardorem, quis suspendit et qua virtute, vt Abraham in igne staret et deprecaretur et pueri tres in feruenti fornace clara voce conditorem collaudarent? Quis fauces leonum in fame reficit diebus septem et eorum feritatem Danieli innocuam domesticauit, nisi deo volente obedientia debita creaturae ad creatorem? Vtique, si non peccasses, haec et maiora horum fecisses, quasi homo omnipotens in omnipotente deo creatore tuo.

Sed, proh dolor, peccatum in parente vtique perdidit dominium et ideo poena in prole vbique inuenit aduersarium. Creator enim, qui in omni creatura est, per omnem creaturam, quasi per famulum et ministrum suum, punit. Hominem praeuaricantem et in ipso errantem homine, per ipsum eundem dominum vindicat sibi de homine. Quid enim docet ignem hominem incremare, aerem subuertere et ventilare, aquam submergere et suffocare, et terram corrumpere et annullare, nisi peccatum inobedientiae? Quid bestias contra hominem ferocitauit? Quid caeli faciem [190] immutauit? Quid omnia sublunaria transformauit, nisi infelicis hominis infelix inobedientia? Et concludit propterea in omnibus deum inuenit persecutorem, quia in omnibus ipsum contempsit conditorem. Haec Beda. Ex quibus sequitur quod, sicut inobedientia maxime displicet, ita obedientia maxime deo placet.

Secundum, scilicet quod obedientia iustitiam maxime perficit, patet ex hoc quod saluator noster hic in terra non putauit se ad plenam iustitiam adimplere, donec se inferiori humiliter obediisset. Vnde veniens ad baptistam et humiliter baptizatus ab eodem docuit verbo et opere, dicens: sic decet nos adimplere omnem iustitiam, Matth. III.

Tertium, scilicet quod obedientia beatitudinem propriissime vindicat, patet ex hoc quod legitur christum adparuisse Simoni et non Petro. Per quod secundum Lincolniensem in dictis suis, datur intelligi, quod nostra beatitudo, quae est visio beatifica, adpropriatur Simoni, id est obedienti, qui enim obedit praecipienti, ex titulo dignus est mercede. Sola igitur virtus obedientiae iuste et congrue potest mercedem beatitudinis vindicare. Cum ergo dicitur christus tam humiliter suis inferioribus obedisse, discamus et nos miseri imo miserrimi nostris superioribus humiliter obedire. [191]

Sed heu iam quidam surrexerunt in ecclesia, quos non coluerunt patres eorum, filii ingrati, filii pessimi. Si tamen filii debeant dici, quoniam ipsum fructum obedientiae ab agro ecclesiae conantur totis viribus extirpare. Et sunt in duplici genere, primi sunt qui ordinem iustitiae deordinant, et secundi sunt qui rectam fidem peruertunt ecclesiae. Et sic ambo fructum tollunt obedientiae, fructum honoris et honestatis ecclesiae. Praeterea lamentabiliter dolet ecclesia, dicens: filios enutriui et ipsi spernunt me.

Primi vero, qui ordinem deordinant iustitiae, sunt illi qui primo sub iugo obedientiae degentes postea facti superbi, priuilegia impetrant, quibus dictum est: iugum a se proiciunt et suis superioribus amplius subesse nolunt. Quod cum de christi familia nullos fecisse legimus in scripturis, a fructibus eorum cognoscetis eos. Nam tales tanto delinquunt audacius, quando non est aliquis qui reprehendit eos. Inter quos brigae quondam oriuntur detestabiles, feruor charitatis diminuitur ac possessiones et praedia, eis collata vt deo deserulant, in litibus consumuntur. Mihi non credis, audi Bernhardum, monachum non suspectum, qui pro talibus iniuriis ecclesiae factis acriter loquitur contra papam Eugenium in hunc modum: Nihil pater, tibi indignius, [192] quam sic ecclesias mutilare suis membris. Vnde frequenter oriuntur lites inter ecclesias graues, inimicitiae

et discordiae. Monstrum est digitum pendere de capite. Hoc facis, pater, si in christi corpore mystico aliter disponas membra quam disposuit ipse.

Sed si audis abbatem dicere: Nolo esse sub episcopo, hoc certe de caelo non est; nusquam enim angelorum quemquam audis inferiorem dicere: Nolo esse sub Michael; nolo esse nisi sub deo. Noli ergo, pater, confundere ordinem, noli perturbare terminos, quos posuerunt patres tui. Si enim iustitiae est seruare unicuique, quod suum est, quomodo auferre cuiquam sua iustum esse potest? Si ergo sine rigente necessitate, aut publica utilitate, non priuata, hoc facias, plane, pater, non est fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio. Haec Bernhardus in summa.

Vnde quidam in epistola et putatur etiam esse Bernhardus illa scribit: Certus sum ego monachus et monachorum abbas, si a iugo mei pontificis ceruicem meam excutere tentauero, mox tyranno Sathanae me ipsum subiicio.

Vnde dominus Lincolniensis de his et aliis grauiter conquestus est in quodam sermone coram summo pontifice, enunciens multa mala quae ex his et aliis veniunt contra officium pastorale specialiter in ecclesia Anglicana. **[193]**

Et ille fidelis cantor Parisiensis multum stomachatur contra illas exemptiones et eas impetrantes quos vocat schismaticos.

Ex quibus tamen pertactis malis et aliis videtur aliquibus, expediens fore pro ecclesia, quod talia mala essent generaliter reuocata, nec obstaret scandalum aliquale. Cum tolerabilius est, ut aliquale scandalum oriatur, quam quod veritas vitae relinquatur. Nec impediret quorundam instantia, dicentium: quod sic tolerentur priuilegia, quae multis proficiunt, propter alia mala, quae efficiunt. Quod non videtur iustum. Cum non faciendum malum, ut eueniat bonum. Iste paralogismus peccat in materia et forma. In materia nam malum, quod non est faciendum, ut eueniat bonum est tantum culpa, aut peccati, quod certum est non esse faciendum propter caelum. Sed malum, de quo pertinet ad propositum, est malum poenae vel damni, cuiusmodi est, vel esset reuocatio talis priuilegii boni cum aliis malis. Et reuera tale malum fieret in casu. Et etiam in priuilegiatis sustinent gratissime, dummodo caderet in bonum publicum ecclesiae. Non sic ergo. Iste, vel ille peioratur, damnificatur ex talium reuocatione; ergo haec non debet fieri. Videmus enim ex lege ciuium, quod facta valida combustione in ciuitate aliqua, domus quandoque **[194]** proxima deiicitur funditus, ut cesset incendium et saluetur ciuitas. Sic etiam pes laeditur, ut totum corpus sanetur. Licet etiam malum fuit certis ciuitatibus, quod eis christus non praedicauit, quia, cum hoc toti ecclesiae profuit, ideo simpliciter bonum fuit. Vnde pro meliori intellectu huius rei notabiliter scribit venerabilis Hugo de sacramentis libro I. parte IV. contingit, bonum alicuius bonum esse illius et non bonum ad omnia et quod malum est alicuius, bonum esse ad omnia, et quod bonum est et alicui bonum minus esse bonum, quam quod malum est et alicui malum, quoniam ex ipso forte est bonum omnium. Et concludit ad propositum. Non debet ergo in compensatione minoris boni impediri, quod maius bonum est, ab eo, qui est optimus. Et eandem sententiam confirmat Augustinus III. de libero arbitrio capitulo 4. Cum ergo est vel esse debeat optimus in ecclesia nostra, utinam attenderet ipse ad hanc regulam, tunc enim propter bonum alicuius non faceret malum omnium, nec propter malum alicuius dimitteret bonum omnium. Et sic propter bonum particulare non tam large dispensaret ad malum omnium; nec propter malum particulare parceret, vel omitteret, quin, si opus esset, bona cum malis tolleret, ad omnium bonum publicum. Nec video, quod aliter potentia reuocatiua **[195]** esset in papa necessaria. Nec damnum videtur

contingere per hoc vniuersali ecclesiae, vt ironice loquar, quod adueniente tempore, vt nunc est, ipsa ecclesia sine talibus militaret prosperius, in ordine suo staret integrius, minusque vexaretur pro reformandis moribus et vbique tales leges debite practicatae fructus producerent ampliores. Sed timeo solutus sathanas adeo maceravit ecclesiam talibus et aliis caerimoniis, quod ipsa languens in ianuis mortis redditur quasi incurabilis.

Vos ergo, subditi praelatisque subordinati, nolite a vobis arbitris iugum obedientiae abiicere. Attendite ordinem naturae, quo nihil melius in vniuerso corporali reperitur, dicente philosopho: Optimum entium est ordo. Vnde secundum quosdam philosophos: Si minima stella in firmamento alibi poneretur, mundi machina totaliter solueretur. Cum ergo natura tantum abhorreat christianus ecclesiasticam dissoluere hierarchiam. Et ius seruetur euangelicum, per apostolum promulgatum: Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et quid est ibi anima nisi religio, vel ecclesiastica persona, quae rempublicam animaret. Tu ergo anima, religio, vel persona ecclesiastica sta in ordine tuo et esto tuis superioribus subdita et subiecta. Et sic tibi occurrit maior gratia temporaliter et spiritualiter, [196] quam sic exempta. Humilibus namque datur gratia. Alligatur et iugo domini, noli quaerere solutionem, sed attende coronam praemii.

Iam ad eos vado, qui fidem peruertunt ecclesiae. Hi vocantur haeretici, qui tamquam vulpes fodiunt in agro domini. Nam per fallacias et aequiuocationes varias suffodiunt et peruertunt scripturas, sophismata quaerunt philosophiam peruertunt et totum agunt, vt scripturas ad proprium sensum retorqueant, populum simplicem decipiant, fidem corrumpant et semen verbi, quod in agro domini seritur, per sua maledicta semina perimant et confundant. Has vulpes venatur Bernhardus super cantico, sermone illo: Capite vobis vulpeculas; vbi declarat atque reprobatur opiniones et conditiones regnantium in ecclesia vulpium modernorum. Quo propterea transeo, nisi quod sunt eorum quidam qui auctoritatem ecclesiasticam vilipendunt, dicentes quod nulla alia auctoritas est in ecclesia, nisi qui viderit destruere auctoritatem ecclesiae. Audi beatum Augustinum, virum sanctum et sic propter sanctitatem iuxta tuam propriam opinionem, magnam auctoritatem habentem: Non, inquit, crederem euangelio, nisi ad hoc commoueret me ecclesiae auctoritas. Vnde doctor solemnissimus in summa: Credite, inquit, Augustino, quia [197] sibi praedicauit Ambrosius et secundum modum, quo tractus est Augustinus ad fidem, magis credendum est auctoritati ecclesiae, quam auctoritati scripturae. Haec doctor. Nec video quin pro tempore vitae necesse est nos adhaerere auctoritati ecclesiae. Quis alius hodie crederet scripta de christi passione, conuersatione et aliorum sanctorum doctorum, nisi ecclesia haberet testes succedentes christi de passione apostolos, quam doctores informantes. Alias enim infidelis proteruiens omnes scripturas nostras diceret esse apocryphas. Vnde auctoritas ecclesiae est magnum vinculum ad ecclesiae nos ligandum. Vnde Augustinus: In ecclesia, inquit, catholica multa sunt, quae in eius gremio me iustissime tenent. Tenet consensus populorum et gentium, tenet auctoritas ecclesiae miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta et vetustate firmata. Tenet ab ipsa fide Petri apostoli, cum pascendas oues dominus tradidit vsque ad praesentem episcopum successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum nomen catholicae ecclesiae, quod non sine causa inter tam multas haereses sic sola obtinuit victoriam. Haec Augustinus.

Hos ergo haereticos iuxta apostolum deitemus et ipsam auctoritatem ecclesiae totis viribus honoremus, sibi reuerentiam et obedientiam debitam exhibentes. Et hoc

propter fructum [198] obedientiae volui vobis subditis primo dicere: Sitis repleti fructu iustitiae. In quibus verbis notate primo salubrem admonitionem cum dicit: sitis repleti; secundo repletionis materiam cum dicit: fructu; tertio fructus qualitatem cum dicit: iustitiae.

Dixi secundo et finaliter quod ad superiores et praelatos pertinet fructus disciplinae et doctrinae salutaris, teste Chrysostomo: In omni praelato et curato debent esse duo: bene docere et bene viuere; bene viuere propter se ipsum, sed docere propter populum. Vnde vita sui ipsius propria est, doctrina vero sua non sua est sed aliena, vt instar christi dici possit: Doctrina mea est mea quidem quia a me procedit, sed mea non est quia non propter me sed propter alios est.

Ex quibus quidam coniciunt quod magis necessaria est cuilibet communitati doctrina bona vita praelati. Sine doctrina vero diu persistere neque bene regi diu potest respublica ecclesiae. Optanter ergo praelati super omnia diligent doctrinam. Et vtinam tam ardentem hoc officium quidam adpeterent, quantum feruenter episcopari vellent, scriptum est: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Verum est quod bonum opus, quoniam bonus est fructus eius, lucrum scilicet animarum. Nec video quod aliquis vere episcopus, [199] nisi officium cum fructu episcopali debite exsequatur. Propter hoc officium et fructum eius missus filius dei et constitutus super montem Sion ecclesiae ad praedicandum praeceptum eius, Psalm. I.

O igitur, praelati et domini venerandi, sequamini dominum nostrum et magistrum Iesum, qui tale et tam pretiosum vobis exemplauit officium. Nec erubescat praelatus hanc artem doctrinae discere, cum tantum periculum, tanta poena et maior verecundia sit, ipsam non cognoscere. Vnde Clemens: Nullus episcopus propter opprobrium senectutis et propter nobilitatem generis, a paruulis etiam minime eruditis, si quid est vtilitatis, si quid est salutis inquirere negligat. Qui enim belliter viuit et discere atque bene agere recusat, magis diaboli quam christi membrum esse ostenditur, et potius infidelis quam fidelis esse monstratur. Haec Clemens.

Patet ergo quod valde indebite praelatiam acquirunt, qui non prius, quam alios doceant, addiscunt, quod testatur venerabilis Beda, dicens: Frustra igitur doctores sibi officium vsurpant, qui discretionem catholicae fidei ignorant. Non enim sanctuarium, sed ruinam sibi aedificant, qui alios docere quaerunt, numquam ipsimet didicerunt. Haec Beda. [200]

Sed heu! Hanc artem parum scire desiderant, qui in litigiosis et lucratiuis scientiis totaliter se immergunt et de praebendarum fructibus et pecuniarum exactionibus profunde se subtiliant, sed de scientia morum ac propugnatione haeresis, nihil aut parum curant. Discant ergo praelati singulique curati legem domini et doceant populos diligenter. Cauentes ne in die districti examinis illos inueniant oculatiores, quorum antea non extiterunt solliciti instructores. Sed timeant ipsi specialiter, qui super gregem suam non vigilant, sed ab eo procul fugiunt, vt ab hoc onere et aliis se excusent. Tales denique possunt dici Platonis ideae formae abstractae a materia. Abstrahunt namque se ipsos a materia, quia a cura propria et propter carnis curas ad curias volant dominorum, vbi in compitis et coquinis suas faciunt residentias. Formae essent gregis. Examina 1. Pet. II. sed, pro dolor, illum non formant neque informant, sed cum veniunt, difformant, spoliunt et recedunt. Vnde merito ponitur in capitulo Prouerb. VII: Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniae secum tulit et in die plenae lunae reuersurus est in domum suam. Et reuera verum est quoniam veniunt et reueniunt in die plenae

lunae. Quoniam dies veniunt autumnales et horrea sunt impleta. Sed ecce post [201] repletis oculis abeunt longe ab ecclesiis, quandoque vsque ad atrium somni pontificis. Sed sacculos pecuniae non omittunt, quoniam ipsos secum afferunt, quos postea voluptuose expendunt, aut quod malum est in corbanum, aut quod peius est in bancum mittunt, vbi suam iniquitatis mammonam in maledictione multiplicant per viscera. Ex qua procedit illud negotium, perambulans in tenebris, quo mercatores in domo Simonis perquirunt sibi ipsis in mala hora plura beneficia pinguia. Et ex tunc surdi fiunt atque caeci, vt neque intelligant, neque audiant illud sanctum prouerbium quo dicitur: Qui non vnus sed plures sit in suppliciis. Et talem clericum mercatorem tamquam pestem fuge.

O miseri mercenarii, praeuaricatores legis! Redite ad cor, mente recolite et saepius cogitate quomodo positi et conducti estis, vt fructibus vestrae iustitiae vestros mortuos spiritualiter suscitatis. Numquid stolidi creditis hoc facere absentes? Cum nusquam legitur, christum viatorem mortuos suscitasse, nisi cum praesens fuit. Hic enim praesens, non absens, per se ipsum, non vicarium, suam ecclesiam continue gubernauit. Fac et tu similiter. Num quid maior tu es christo? Quem te ipsum tuus Elisaeus misit Gehasi cum baculo ad filium mortuum suscitandum, sed non potuit. Venit [202] ipse Elisaeus cum baculo et positis oculis ad oculos ipsum mortuum suscitauit. Et tu Elisaeus, tantum nomine, tuum mittis Geziacum, ignarum sacerdotem ad ecclesiam tuam, qui baculo percutit filium tuum mortuum, sed non suscitatur quin potius mortificatur. Quoniam ipsum irritat, citat et excommunicat pro decimis et aliis, quae tibi iniuste vindicas pro labore.

Non sic, impie, non sic. Veni tu in persona propria sine malitiae baculo et descende prius, quam filius tuus moriatur et oculis tuae considerationis ipsum vide et doleas. Iterum oculis tuae compassionis respice et doceas demum tamquam verus et benignus Elisaeus, oculis charitatis ipsum respice per amorem et opera pietatis et sic respiciendo ipsum a morte suscitabis.

O christi pontifices, O ecclesiae principes, O pastores duces! Ob amorem Iesu surgite et reducite vestros sub pastu suum ad ouile ecclesiasticum. Secundum leges ciuiles serui fugitiui sunt in doctrina et flagellis reducendi. Extendite virgam, si opus est, vestrae disciplinae, vt non parcatur discipulis, nec etiam clericis de computo vel coquina. Quinimo et ipsos residentes praebendatos et studentes, curas habentes, compellite, vt priuilegiis non obstantibus, temporibus saltem limitatis ad greges [203] suos redeant, oues visitent ibique resideant, pascant et doceant populum dei.

Eia, in christo patres et domini, veraciter in manibus vestris stat effectus huius rei, qui indubio est honor dei, salus ecclesiae et totius populi christiani. Et speramus per gratiam dei quod in his et aliis optimi prouidebit concilium sanctum de remediis, praesertim cum sit satis potens et sufficiens, cuius omnis sufficientia a domino deo est, vt hic nuper fuit doctum.

Confortamini ergo in domino, quia, vt hodie loquar cum apostolo, confidimus in domino Iesu, quoniam qui ceperit in nobis opus bonum, perficiet vsque in diem christi, sed cuius christi? Certe vicarii christi, qui est vnctus et sic christus, futurus summus pontifex, qui vtinam veniat, vt christus venit, conceptus de spiritu sancto per sanctam inspirationem, non de spiritu malo, per nequam conspirationem, natus de virgine, vt ecclesia ipsum pariat, nec corrumpatur prece nec pretio, sed in parte ante et postea maneat illibata virgo, vt singuli nostrum dicere possumus in recessu. Hic est ille qui nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex deo natus est, plenus gratia et veritate,

de cuius plenitudine omnes vos accipitis, qui in partem sollicitudinis secum vocati estis.
[204]

Talis ergo eligatur in summum pontificem et ecclesiae principem, qui iuxta doctrinam philosophi libro III. politicae sit diues, sed in fide catholica sit generosus et liber non carnali prosapia, sed ab omni carnis concupiscentia, sit sciens et potens non scientia mundana aut carnis potentia, sed scientia diuina canonica et speculatiua et practica et potentia virtutis. Et tandem finaliter sit electus formaliter non a multitudine, per terrorem et impressionem conuocata, sed multitudine charitate adunata. Et talis per dei gratiam adscendet in monte domini et stabit in loco sancto eius.

Est hic finis iam productorum. Recentiori memoria iungamus, quae sequuntur in epistola hodierna. Vbi primo notatur fructus obedientiae filialis, pertinens ad subiectos contra exemptos et haereticos. Iustum, inquit Paulus, est mihi sentire de vobis, eo quod habeam vos in vinculis meis, quasi pater filios et subditos et vinculis obedientiae alligatos. Vbi docetur iustum, nos esse in vinculis Pauli, id est praelati nostri et non extra vincula sicut exempti. Et quid sequitur contra haereticos, audiamque in confirmatione et defensione euangelii. Habeam et vos socios gaudii mei. Per quod instruimur vt simus socii vniti in fide et charitate ecclesiae, stantes cum ipsa et [205] eius auctoritate pro confirmatione et defensione euangelicae doctrinae contra haereticos, vt habeamus fructus obedientiae filialis, quae praediximus in primo principali.

Iam progredior in epistola et oro cum Paulo, vt noua charitas magis abundet in sancta ecclesia. Ecce doctrina in omni sensu, ecce doctrina probetis potiora: Dilectionem dei et proximi, quae sunt potiora cuiuslibet doctrinae et disciplinae salutaris, pertinentis ad praelatos, quod fuit secundum principale.

Quod si nos inferiores et subditi simus repleti fructu obedientiae filialis erga praelatos nostros et praelati etiam repleti fructu doctrinae et disciplinae erga suos subditos, tunc nos cum his et illi nobiscum pariter replebuntur tertio fructu, fructu scilicet laetitiae spiritualis. Quae innuitur postea in epistola cum dicit, vt sitis sinceri et sine offensa, id est clari in conscientia, quae claritas est magnus fructus laetitiae temporalis, iuxta illud apostoli: Hoc est gaudium meum, testimonium conscientiae meae. A quo fructu laetitiae spiritualis hic habete per gratiam, veniemus ad fructum laetitiae finalis habendae per gloriam sempiternam, ad quem fructum nos ducat et perducat fructus virginis gloriosae. Amen.